



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

XII. De sensibus internis. Vsus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. de coercendo appetitu sensitivo ejusque pravis affectionibus. Variae ad id praeceptiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

aliorum, quæ celare ex officio debes, nemini evulges. Plerosque contigit in perplexas incidisse quæstiones, quod imprudenter, quibus non oportuit, secreta crediderint. Sivè uni, sivè pluribus dixeris, idem est. Facile sermo ab uno ad alterum effluit: ab hoc ad omnes. Oritur hæc facilitas ex hoc præcipue; quod cum plus iusto protrahitur sermo, sensim irrepit dulcedo quædam confabulationis, non aliter afficiens animum quam ebrietas: quare nullum secretum tam abditum & sacrum est, quod non erumpat. Ille tibi arcana sua aperit, tu, veluti pignore fidei accepto, tua vicissim illi communicas. Sed tu forsitan audita retices, ille obvio cuique refert: & cum omnes palam ignorent, clam sciunt. Linguas dices, per omnium aures secretò volitare, donec tandem arcana superfluit, & rumor fit. Quicquid mali sub cælo est, aut lingua perperit, aut promovit. Ideò verbis tuis stateram fac, & frænum ori tuo; nihilque loquaris, quod tacuisse melius sit. Laudabilior est verborum parsimonia, quam pecuniæ. Qui nummos prodigit, dum sibi nocet, aliis prodest; verborum prodigus, & sibi nocet, & aliis. Ad divinitatem propius accedit, qui multa audire scit, & pauca loqui.

5. Nihil linguæ inaccessum. Non sunt immunes à criminationibus Principes terræ, quos extra ferri metum potentia collocavit: non viri sanctitate conspicui, quos censuræ subduxit innocentia. Ipse Christus, cum inter homines degeret, linguæ flagellum non evasit. Ad horum exempla erige patientiam tuam. Stimulus quidam virtutis est obrectatio, & frænum ne à recto tramite devies. Nullus capitalior vitiorum hostis, quam censura. Cum quis perperam de te loquitur, doceris quid caveas. Vis venenatæ linguæ morsus evadere? contemne. Nullum vulnus habebis, si tacueris, plus tribuens bonorum iudicio, quam criminantis insolentiæ. Parùm refert, quid alii de te sentiant. Est intus in anima testis certior, & incorruptior. Conscientiam tuam interroga, & illi crede. Quid turpius, quam ab insipientium sermone pendere, & propriam existimationem in aliorum iudiciis reponere? Quicquid alii de te dicant, te oportet bonum esse: haud aliter, quam si aurum vel smaragdus dicerent; Quicquid alii dicant, me aurum esse, me smaragdum oportet, & colorem meum servare. Si quis dulci ac limpido fonti convitium faciat, an propterea cessabit puram aquam scaturire? Et si quis lutum injiciat, nonne statim eluet ac

dissipabit? Ità nec tu tranquillum animi statum turbare debes, etsi mali te lacerent, & calumniantur. Exigua fuit aestimatio est, ad omnem rumorem commoveri. Pueri os parentum feriunt, matris crines turbavit infans, momordit ubera, laceravit genas, & sputo aspersit: & nihil horum contumeliam dicimus; quia qui fecit, contemnere minimè potest. Quem itaque animum habent parentes adversus pueros; eundem habe adversus eos, qui te calumniantur. Si te semel eò demiseris, ut injuriâ movearis, eum qui fecit honorabis. Necessè est enim, ut ab eo suspici gaudeas, à quo contemni molestè fers. Hoc autem est vitium animi contrahentis se, & descendentis. Infelix semper eris, si te putas posse contemni.

## CAPUT XII.

*De sensibus internis. Usus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. De coercendo appetitu sensitivo ejusque pravis affectionibus. Varia ad id præceptiones.*

1. **I**N hoc præcipuus sapientiæ cardo vertitur, ut nulla opinio menti tuæ inferatur, quæ vel naturæ vel rationi inconsequens sit. Quare omnibus rejectis adversus phantasiæ motus exerceri debes, sicut Dialectici adversus sophisticas captiones. Obiit filius. Non est hoc in nostra potestate; malum non est. Pater illum exheredavit. Et hoc cum arbitrii nostri non sit, malum non est. At rem illam ægrè tulit. Hoc nostri arbitrii est; idè malum. Fortiter tulit. Nostri arbitrii est & bonum. His si assueveris, proficies. Amicus in carcerem ductus est. Quid accidit? nihil, nisi quod in carcerem ductus est. De suo autem quisque addit: malè cum illo actum esse. Corrige opinionem, & omnia tranquilla sunt. Sicut furiosum ligamus ne cui noceat: ita coercenda phantasia, ne falsis opinionibus obruat mentem. Hæc tanquam fera indomita proripit sese, & quocumque libuerit per summam licentiam divagatur, garrula, fugax, quietis impatiens, novitate rerum lætissima, nec agnoscens moderationem. Huic igitur studio sedulam operam navare debes, ut eam teneas & alliges, ac in uno figas; ne cogitationes tuæ, animique decreta semper ex opinione suspensa sint. Quæcumque sunt extrà animum tuum, nihil pertinent ad te.

2. *Quic-*

2. Quicquid se tibi cogitandum offert, examina diligenter; quod tecum ipse differere possis, quæ sit ejus rei nudæ, & ab omnibus aliis separatæ natura, quæ proprietates, quis finis, quæ circumstantiæ, quæ utilitas: an ad te spectet, sitque in tua potestate; necne: alioquin nullum ei accessum præbeas, eique repugna; quantum potes. Deus intimè præsens occultissima cordis tui clarissimè perspicit, nihilque tam abditum est, quod oculis ejus pervium non sit. Vide, ne coram ipso ea volvas in mente, quæ coram honesto viro loqui erubesceres. Sint cogitationes tuæ placidæ, simplices; puræ omnisque malitiæ expertes. Tales sint, ut subito interrogatus quid cogites; possis sine pudore palam facere quod intus latet in corde. Pudeat cogitare, quod pudeat loqui. Malis cogitationibus aditum obstrues, si bonis semper occuperis.

3. Nihil æquè noxium animæ, nihil magis contrarium, quàm inferior, brutalis, & sensitivus appetitus. Hic fons est omnium scelerum, & imperfectionum: hic hostis, quem semper time-re, semper impugnare debes, donec rationis imperio, quantum in hac vita fieri potest, subjiciatur. Nulla hic requies, nullum otium datur. Sine fine, & sine modo pugnamus; quia nec finem, nec modum adversarius habet. Latet hic intrate: imò tu ipse tibi hostis es, potentior quàm Xerxis exercitus. Custodi à te ipso animam tuam. Fortius est te invadere, quàm urbes, tui potiri, quàm rerum. Non exigo ut pravas affectiones omninò conteras, & ad nihilum redigas; sed ut eas regere discas. Satis præstiterit ratio, si eas compescat & moderetur. Iniqui fuere Stoici, qui omnes affectus tanquam malos infamârunt. Mala non est, nec supervacua suppellex naturæ. Tollit omnem virtutem, qui omnes tollit affectiones. Nullæ sunt victoriæ, ubi nullum certamen.

4. Difficilis sanè hæc lucta est, & prælium anceps: affectus enim nascuntur nobiscum; & ratio multis post annis subsequitur, quando illi jam dominantur, & voluntas sine repugnantia eis præret, specie boni inaniter delusa: donec ratio, successu temporis & experientia, instauratis viribus suum agnoscat dominandi jus, & affectuum tyrannidi obsistere incipiat. & primi quidem naturæ motus inemendabiles sunt; sed attendere tibi ipsi summâ vigilantia debes; & cum primùm te perturbari animadvertis, tunc ratione, quasi fræno, eam commotionem coercere. Facilius est iniuriis resistere, quàm inpe-

tum gubernare. Brevi tempore ad magnam animi tranquillitatem pervenies, si casus omnes circumspexeris, antequam eveniant, ut te paratum hostis aggrediatur. Serò animus ad remedia post pericula instruitur. Tum pauca agere, & loqui discere: nam si ex his, quæ plurima loqueris & facis, ea tollas quæ necessaria non sunt; pauciores senties animi perturbationes. Neque dicas; hoc parum est, hoc nihil refert. Maximum enim est, licet minimum videatur, quod est initium virtutis & perfectionis.

5. Homo vetus à peccatoris Adæ infecto semine trahens originem, si quasi quædam arbor consideretur, habet pro radice amorem sui, pro trunco propensionem ad malum, pro ramis perturbationes, pro foliis vitiosos habitus, pro fructibus opera, verba, & cogitationes, quæ divinæ legi adversantur. Ne igitur rami pravarum affectionum in folia & fructus erumpant, pone securim ad radicem, & pessimum tui ipsius amorem extirpa. Si hunc sustuleris, omnem inferioris appetitus vitiosam sobolem unico ictu excidisti. Tollis autem & eradicabis, si te ipsum spreveris: si verè credideris, te unum esse ex millibus, nullâ dote singulari præditum, omnique scientiâ & virtute destitutum: si displicere hominibus, & ab illis sperni non metuas: si omni solatio, & commodo libenter careas. Servabis te, si benè oderis: perdes, si malè amaveris.

## C A P U T XIII.

*De Amore. Quæ sit ejus natura, quæ causæ, qui effectus. De ejusdem remediis. Ad-dita quedam in Odio.*

1. **A**mor, complacentia boni est; illa, scilicet, prima impressio, quæ afficitur appetitus, dum bonum cognitum ei placet. Hoc cohæret universus Orbis; eoque subactò, qui primum inter effectus locum tenet, facile reliqua turba debellabitur. Bonus amor illuc tendit, undè sumpsit originem: ad bonum accedit; quia à summo bono procedit. Discute vitam tuam, & in statera districti examinis appende eorum. Observa quis in eo prævaleat amor: id enim quod in lance dilectionis præponderat, hoc tibi Deus est, hoc idolum quod colis. Idèd præcipit Deus, ut eum toto corde diligeres, præoccupare cupiens tuæ mentis